B. N. C
FIRENZE
1058
20

1058 . 20

Digitized by Google

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1058
20

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. HORATIO PANCIATICHI

EPISCOPO FÆSULANO

Et Turichij Comiti, &c.

SE SVAMQVE THEOLOGIAM

D. D. D.

NICOLAUS A NOMINE MARIÆ SCHOLAR. PIAR.



FLORENTIÆ. MDCCV.

Apud Petrum Matini Archiepiſcopalem Typographum.

Superiorum permiſſu.

1052·2

Digitized by Google

1058.20

Digitized by Google

ILL.ME ET REV.ME
PRÆSVL.

DIU latuiſſe, Scientiarum dedecus eſt: liberiùs prodiiſſe, periculum. Virtutis ſcilicet Bona, ut non omnibus cognita, ſuperbo quodam excepta contemptu, latuiſſe potiùs aliquando decuit, quàm prodiiſſe: quamvis, nullo licèt ſuffulta præſidio, quandoque prodierit juveritque periculum offendiſſe, ne dedecore inureretur. Mihi autem hoc maximi, ac prope Divini beneficij loco babendum eſt, quod ſingulari quodam privilegio, in Tuum, ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. PRÆSUL, Patrocinium mea nunc addicta ſit Theologia. Exeat proindè inſpectanda ſimul & impugnanda, quam, cùm frequentiſſimi conſpectus deterreat majeſtas, protegentis benigniſſimi certè PRÆSULIS confirmat humanitas. Ardua quippè, ut promptiori quadam alacritate aggrediamur, nobiliſſimæ auctoritate tutelæ compellimur. Ego certè eum ſum ſortitus Patronum, qui & Scientiarum ornamento, & Virtutum ſplendore, & Avitæ privilegio Nobilitatis, animos, vel ſupra vires poſſit adjungere. Ea enim Tua dignitas ſe mihi præbuit, ut incredibilis quædam omnium laudum concordia prædixerat, ut decuit Sapientiſſimum PRÆSULEM, univerſorum votis ad Epiſcopatum, & equis inſignibus deportatum. Habet Fæſulana Eccleſia, quod ſibi æternum gratuletur. Romanis aſſueta creſcere impendijs, ut Navim propriam cynoſura donaret, Romano Cœlo fulgidiſſimas ſemper Stellas eripuit. Primum Fæſulanis Infulis donaturus Antiſtitem Petrus,

Digitized by Google

Ron ulum deſtinavit. Novo dilectum Gregem crediturus CLEMENS *Paſtori, præfecit* HORATIUM. *Daturus Romulum Petrus, adjutorem perdidit Evangelij, ut Epiſcopum faceret. Daturus* CLEMENS HORATIUM, *Romam tanto Viro carere ſtatuit, ut Epiſcopatum illuſtraret. Electorum virtutes, utrumque probaverunt delectum, placuitque viros aſſumpſiſſe, in quibus pretium minueret dignitati præſtantia meritorum. Nec internaſcentis Fidei, Romuli ſanguine firmata primordia, diſparia novi Antiſtitis tempora, glorioſa minùs, minùſque auguſta reddiderunt. Seder Sanctiſſimo illius imbuta ſanguine, ideo Te ſucceſſore illuſtratur, quod antiquo non obſcuretur Exemplo, novæ ſpecimen Sanctitatis. Tua ſunt ſpeciali quodam iure, quæ ad tanti Patris exemplum aggrederis, cùm omnia, vel antequam ob oculos habuiſſes, bonum Præſulem præſeferrent. Debueras Romulum comitari, ni Deus benè, ac ſapienter, renovandæ Sanctiſſimi, ac propè Divini Viri memoriæ, ſapientiſſimum, ac propè maiorem homine Virum reſervaſſet. Debueras antiquum Præſulem exhibere Neroniano carcere liberatum, ut eò clariores apparerent virtutes, quò tutiùs eorum ſplendor emiſſus tenebris, in quibus volutabatur, eorum affulſit oculis, qui non tenui viſu claræ proſpicerent, ſed totum admitterent diem. Juvat Paſtoralem ſollicitudinem admirari, in qua nihil tàm populare, quàm Tua Maieſtas; nihil tàm omnibus charum, quàm Tua auctoritas videatur. Summam tamen dignitati ſervas honorem, cùm nihil in Te habeas, quod in alijs debeat reprehendi; cùm omnia teneas, quæ optimum ſit imitari; cùm deniquè Tuæ Virtutes nullo vitiorum confinio lædantur. Quæ omnia, cùm miro quodam omnium conſenſu, Te,* ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. PRÆSUL, *maximum, omnibuſque abſolutum Antiſtitem faciant; nemo obſequij noſtri neceſſitatem non admiratur, nemo Studiorum meorum felicitati non invidet. Tu interea, benigno, quo ſoles, animo, Theologiam noſtram amplectere, ut bonorum omnium judicio probari poſſit, quæ optimi* PRÆSULIS *auctoritate illuſtratur.*

Dominationis Tuæ Illuſtriſs. ac Reverendiſs.

Humill. atque Obſequentiſs. Famulus
Nicolaus à Nomine Mariæ Scholarum Piarum.

CON-

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.

DE VERA RELIGIONE.

1 VEra aliqua eſt Religio, in qua Deo vero verus cultus, & honor exhibeatur. Hæc, licèt non indigeat rationibus intrinſecis comprobari, admittit tamen extrinſeca argumenta, quibus evidenter credibilis fiat, eamque amplecti omnes teneantur, & quidem ex corde; itaut licitum non ſit Religionem ſimulare, aut extrinſecè negare, contra Helceſaitas; quamvis liceat fuga declinare perſecutionem, adverſus Montaniſtas. Martyrij tamen ſanctitas, & neceſſitas manifeſtiſſima eſt, contra Gnoſticos.

2 Sola Chriſtiana vera eſt Religio, eaque manifeſtis ſignis evidenter credibilis. Notæ verò credibilitatis quinque aſſignantur: Vetus prædictio, Evangelij per omnes terras propagatio, Dogmatum ſanctimonia, & æquitas, Miraculorum magnitudo, & varietas, invictiſſimorum Martyrum triumphi.

3 Inter Religiones, quæ Chriſtianæ eſſe, & dici volunt, ſola vera eſt Catholica Romana, quæ Romanum Pontificem Chriſti Vicarium in terris, Petrique Succeſſorem veneratur; eaque ſola inſignitur quadruplici illo charactare, qui ad veram Eccleſiam dignoſcendam exigitur, & in Nicæno Symbolo traditur. Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica eſt. Quibus Eccleſiæ Romanæ dotibus additur antiquitas, firmitas, & viſibilitas.

4 Non ſolùm quæcumque Infidelium ſectæ ſunt omninò incredibiles & rationi contrariæ; verùm etiam omnes aliæ Hæreticorum. Quas inter præter Religionum neutralitatem, quæ ad ſcelera omnia ipſumque Atheiſmum aditum facit, damnatur Lutherana & Calviniana, quæ tantam præſeferunt incredibilitatem, ut inexcuſabiles prorſus ſint earum ſectatores.

DE SACRA DOCTRINA.

5 VEra Religio indiget Sacra aliqua Doctrina, per quam & fideles confirmet, & Hæreticorum ſophiſmata diſſolvat. Eccleſiæ itaque Dei neceſſaria ſimpliciter eſt Theologia, quæ vera ſcientia eſt, licèt in hoc ſtatu careat evidentia; quia Scientiæ Beatæ ſubalternata, ab ea in evidentia ſuorum principiorum dependet. Una ſimpliciter eſt tum ex unitate obiecti formalis, Dei ſcilicet ſub ratione Deitatis, tum ex ratione formali ſub qua, Divina nempe revelatione virtuali.

6 Eſt eminenter practica, & ſpeculativa; & quamvis non entitativè, obiectivè tamen, & originativè ſupernaturalis eſt, cùm habeat, & obiectum, & principia ſupernaturalia. Hinc eſt, quod tam certitudine obiectiva, quàm formali, omnes naturales ſcientias antecellat, & earum principia ad ſuum revocet examen. Unde verè Sapientia eſt.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

7 CUm Theologia ſit habitus diſcurſivus, habet ſua Loca, ex quibus argumenta eruat, Decem enumerant: Sacræ Scripturæ authoritas; Apoſtolorum traditiones; Eccleſiæ Univerſalis conſenſus; Generalium Conciliorum definitio; Deciſio Summorum Pontificum; Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum, Auguſtini præcipuè & Thomæ teſtimonia; Theologorum, & Canoniſtarum ſententia; Philoſophiæ, & rationis naturalis pondus; Legiſtarum, & Philoſophorum concordia; Hiſtoria denique humana ex fide dignis Scriptoribus.

8 Scriptura Sacra vulgatæ editionis, quæ longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſt, & ultimò per Sixtum V. & Clementem VIII. diligentiſſimè emendata, infallibili pollet authoritate. Per Scripturam autem Sacram, intelligendi Libri illi omnes, qui ut Canonici à Tridentina Synodo Seſſ. 4. ſuſcipiuntur.

9 Hi Libri omnes, de quorum authoritate iudicare, ad Eccleſiam, eiuſque Caput ſpectat, integri cum omnibus ſuis partibus à Deo ſunt inſpirati. Unde nefas eſt eos corrigere, & ab ijs ad Hæbraica, Græcaque exemplaria provocare, etſi LXX. Interpretum editioni, venerationis plurimùm deferamus. Et quamvis eorum lectio utiliſſima ſit; iuſtis tamen de cauſis vulgari lingua legendos, promiſcuo vulgo interdicit Eccleſia.

10 Sacræ Traditiones, quæ ab Apoſtolis nunquam interrupta ſerie ad nos pervenerunt, veluti Spiritus Sancti voces, ſcripto non alligatæ recipiendæ ſunt: Sicut etiam quidquid tenet, vel ſentit errori minimè obnoxia, & inconcuſſa veritatis arbitra Eccleſia Catholica, ad quam ſoli Fideles pertinent, ſive boni, ſive mali, & potiſſimùm Epiſcopi iudices controverſiarum.

11 Symbolum, quod Apoſtolorum dicitur verè ab ipſis & traditum, & compoſitum eſt. Apocryphæ verò ſunt Conſtitutiones Apoſtolis, & Clementi Romano ſuppoſitæ. Octoginta quinque Canones, qui Apoſtolici inſcribuntur, incertum an ab ipſis prodierint; illis tamen effictos eſſe validiſſimis argumentis comprobatur.

12 Ex Apoſtolica traditione manavit Eccleſiæ Romanæ, aliarumque diſciplina Paſcha celebrantium die Dominica poſt Lunam 14. primi menſis. Controverſiæ nihilominùs de legitimo celebrandi Paſcharis tempore, inter Aſiaticos, & alias Eccleſias motæ, ad diſciplinam dumtaxat, non ad Fidem ſpectarunt.

13 Ante Paſchale Ieiunium ex Apoſtolica traditione acceptum, quadraginta circiter dierum ſpatio perduravit. Ad illud tenerentur Fideles, quamvis ab Eccleſia inſtitutum putarent. Longè diverſa à Montaniſtica ſuperſtitione Romanæ Eccleſiæ Ieiuniorum Religio. Abſtinentia à carnibus, quidquid blaterent Calviniſtæ, Eccleſiaſtici Ieiunij ſemper pars fuit.

14 Infallibile eſt OEcumenicum Concilium, duce Spiritu Sancto, approbante, & confirmante Romano Pontifice, congregatum, qui Eccleſiæ Univerſalis Epiſcopus & Primas, ita ſolus generalem Synodum cogere poteſt, ut ſupra ipſam ſupremam authoritatem, & poteſtatem habeat. Quare in quæſtionibus iuris errare nullo modo poteſt cùm è Cathedra definit, licèt quoad quæſtiones facti, errori aliquando poſſit eſſe obnoxius.

DE DEO, ET EIUS ATTRIBUTIS.

15 DEum exiſtere eſt per ſe notum in ſe: nobis verò naturaliter evidenter innoteſcit à poſteriori per effectus, qui impoſſibilem reddunt Dei ignorantiam. Metaphiſicum eius conſtitutivum eſt Divina intellectio per modum puriſſimæ actualitatis.

16 Attributa, nec inter ſe, nec cum eſſentia patiuntur diſtinctionem formalem ex natura rei, ſed tantùm virtualem. Perfectiones omnes creatæ in Deo includun-

cluduntur aliquæ formaliter, aliquæ virtualiter. Infinitus proinde ab intrinſeco eſt in omni genere entis. & immenſus. Omnibus præſens intimè per ſuam operationem virtualiter tranſeuntem.

DE VISIONE DEI.

17 VIſionis Dei poſſibilitas eſt naturaliter indemonſtrabilis, & ad eam ita neceſſarium eſt lumen gloriæ ſupernaturale, ut nec illud per aliud ſuppleri poſſit, nec poſſibilis ſit ſubſtantia, quæ naturaliter Deum videat.

18 Non datur potentia obedientialis immediatè activa. Unde lumen gloriæ eſt adæquata, & immediata virtus eliciendi actum viſionis, cuius inæqualitas remotè ex inequalitate meritorum, proximè ex inæqualitate luminis procedit, & ad eam elevari nequit oculus corporeus.

19 Ita eſſentia Divina per ſe ipſam immediatè unitur intellectui Beato ſine ſpecie impreſſa, ut hæc ſit impoſſibilis ſicut & expreſſa. Repugnat pariter Deum à creatura comprehendi. Unde in eo videri non poſſunt omnia poſſibilia: quamvis quæ ſunt in eo formaliter, omnia neceſſariò videantur.

20 Beati vident in Deo ea omnia, quæ in hoc Mundo fiunt pertinentia ad proprium ſtatum: & licèt in mortali vita nemo fuerit permanenter Beatus, fuit tamen aliquis tranſeunter, ut Divus Paulus.

DE SCIENTIA DEI.

21 DIvinus intellectus per omnimodam ſcientiam, omnia comprehendit, ita tamen, ut ſola Divina eſſentia ſit eius obiectum primarium tàm motivum, quàm terminativum. Cætera à ſe cognoſcit in ſeipſo tamquam in cauſa & medio prius cognito. Duplex tamen diſtinguitur in eo ſcientia, una qua attingit poſſibilia, & dicitur ſimplicis intelligentiæ, altera dicitur viſionis attingens futura, quæ ſunt illi phyſicè præſentia in æternitate.

22 Scientia viſionis eſt cauſa non ſolùm directiva; ſed etiam effectiva rerum juxta ideam, quæ in Divina mente datur, & nihil aliud eſt, quàm ipſa creatrix eſſentia diverſimode participabilis. Ante Divinum Decretum nulla res eſt determinatè futura. Unde futura abſoluta cognocit Deus in Decreto omnimode abſoluto; conditionata verò in Decreto abſoluto ex parte actus, conditionato ex parte obiecti. Quapropter ſcientiam mediam prorſus reijcimus.

DE VOLUNTATE DEI.

23 SIcuti intellectus Divinus intellectionem habet à ſe virtualiter indiſtinctam; ita volitionem voluntas, cuius obiectum formale, & motivum & terminativum eſt ſola Divina Bonitas, quam formaliter neceſſariò amat, & ex eius amore effectivè res præſentes & futuras, non autem poſſibiles.

24 Amori, quo Deus homines amat formaliter coniungitur zelus, quo impios punit, ita exigente iuſtitia vindicativa: cum qua unitur diſtributiva, non tamen commutativa ſupremo dominio repugnans. Spes quoque, Timor, Triſtitia, Odium, Ira, & Deſiderium, in Deo eſse non poſsunt.

25 Voluntas Divina libera eſt per liberam terminationem ad creaturas, defectibilem ſub conceptu terminationis, non verò entitatis, & perfectionis. Non potuit tamen voluntas manere ſuſpenſa à libero decreto de futuritione, vel non futuritione rerum.

DE OMNIPOTENTIA, ET PROVIDENTIA DEI.

26 FAcultas creandi ita propria eſt infinitæ Dei potentiæ, ut creatura, nec principaliter, nec inſtrumentaliter creare poſſit. Anima nonniſi à Deo creatur, ſed non ante corpora, itaut in illis incarceretur propter peccatum,

tum, ut effutiebant Origeniſtæ. Omnipotentiam comitatur Providentia formaliter ad intellectum pertinens, quæ, licèt permittere poſſit mala, omnia tamen ad bonum finem ordinat, quem ſemper aſſequitur.

DE PRÆDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

27 PRædeſtinatio principaliter in actu intellectus conſiſtens, non habet pro motivo prævisionem meritorum, ſed voluntatem Dei gratuitam. Eius effectus inter alia ſunt, permiſſio peccati, gratia efficax, licèt per peccatum interrupta, & actus ſupernaturales.

28 Reprobatio poſitiva prævisas culpas ſupponit, non ſic negativa. Prima permiſſio Peccati, & aliorum, necnon perſeverantiæ in illis, & impœnitentiæ finalis, ſunt Reprobationis effectus.

29 Æterna eſt Dæmonum, hominumque reproborum damnatio, contra Origeniſtas; unde commentitia eſt Traiani ab Inferis liberatio precibus D. Gregorij.

DE TRINITATE.

30 SAnctiſſimæ Trinitatis Myſterium, etiam revelatione ſuppoſita demonſtrari nequit. Dantur reverà in Deo tres Perſonæ, contra Sabellium, alioſque Hæreticos. Duplex datur proceſſio ad intra, quarum principium eſt intellectio & volitio, connotantes Paternitatem, & Filiationem. Spiritus Sanctus non eſt Filius, nec genitus, quia per voluntatem procedit.

31 Ex proceſſionibus quatuor relationes ſequuntur, quæ ſecundum eſſe ad, perfectionem non dicunt, nec habent proprias exiſtentias. Diſtinguunt inter ſe Perſonas Divinas, quas ſub conceptu ſubſiſtentiæ relativæ conſtituunt: præter quas datur ſubſiſtentia abſoluta, Naturæ Divinæ propria.

32 Quamvis Verbum Divinum non generetur per ſe ex cognitione futurorum, neceſſariò tamen procedit ex cognitione Eſſentiæ, Attributorum, & Poſſibilium. Spiritus Sanctus, ita petit procedere ex duabus perſonis, ut tamen iſtæ ſint unum tantùm principium ſpirans; &, ſi à Filio non procederet, ab eo non diſtingueretur.

DE ANGELIS.

33 ANgeli propter omnimodam meteriæ carentiam ab intrinſeco incorruptibiles, & ſolo numero immultiplicabiles, ſunt in loco naturali per operationem virtualiter tranſeuntem; in violento per paſſionem, & exiſtere poſſunt in qualibet minima parte loci etiam in puncto, ſicut & tranſire de uno extremo ad aliud intacto medio.

34 Seipſos intelligunt per propriam ſubſtantiam, cætera à ſe per ſpecies infuſas, eò univerſaliores, quò perfectior Angelus. Sunt ab intrinſeco inflexibiles in eo, quod deliberatè elegerunt, etiam in primo peccato, quod non potuit eſſe in primo inſtanti; & fuit ſuperbia propriè dicta. Omnes tàm boni, quàm mali ſimul creati ſunt in principio Mundi. Non ſunt Mundi conditores, contra Simonem Magum.

DE PRIMA RERUM CREATIONE, ET ALIIS AD SACRAM HISTORIAM SPECTANTIBUS.

35 OMnia Deus in tempore, non ab æterno creavit, unde materia illi coæterna non fuit, ut ſomniavit Hermogenes. Sex diebus huic operi iuxta Moyſis recenſionem deſtinatis, qui dies naturales fuerunt ſecundùm communem Patrum aſſertionem, & magis obvium Scripturæ textum.

36 Sexta

36 Sexta die primus omnium hominum Adam formatus contra Præadamitas, indeque in Paradiſum tranſlatus, qui verus locus in terris fuit, non metaphoricus, ut erravit Origenes; eumque cenſemus à Diluvio deletum. Negare æternam Adami ſalutem, hæreſin ſapit. Defendere non poſſumus Lamechum, qui primus polygamiam induxit, quamvis Patriarchæ plures habuerint uxores.

37 Enoch à Deo in incertum locum tranſlatus adhuc vivit. Dei Filij, qui *Gen. 6.* leguntur cum filiabus hominum commixti, non Angeli, ſed veri homines fuere, ſicut & ab iis procreati Gigantes. Anni Moſaici vel pares noſtris, vel non multùm breviores fuere. Diluvium Noëticum univerſale fuit, non ſolius Paleſtinæ, contra Præadamitas.

38 Melchiſedech, verus homo, contra Melchiſedechianos, Rex Salem, & & Dei Sacerdos non fuit Sem filius Noë. Liber Iob contra Lutherum, vera Hiſtoria eſt, non fabula: ſicut & Liber Tobiæ, contra Paulum Fagium. Iephthe filiam ſuam impiè mactavit.

DE GUBERNATIONE DEI.

39 Suavi Deus regimine omnia moderatur, ſingulisque hominibus Angelorum cuſtodiam deſtinavit. Cum quo ſtat, quod interdum miracula efficiat, quæ neque Dæmon, neque alia creatura operari poteſt.

DE BEATITUDINE.

40 In Deo non ſolùm ut uno, ſed etiam ut trino ultima ſupernaturalis Beatitudo ſita eſt; & clarè viſus neceſſariò amatur. Formalis autem Beatitudo in actu viſionis, non amoris, ſeu fruitionis conſiſtit. Repugnat duos ultimos fines adæquatos ab eadem voluntate ſimul intendi.

DE ACTIBUS HUMANIS.

41 Homo libero arbitrio præditus eſt, quo & bonum operari, & peccatum vitare poſſit, contra Manichæos. Hinc eſt quod non dantur homines natura boni, aut mali, ut impiè adſtruxerat Saturninus.

42 Omiſſio voluntaria non eſt, niſi detur præceptum non omittendi, & actus qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi. In individuo non datur actus indifferens, & actiones exteriores nihil intrinſecæ bonitatis, aut malitiæ addunt internis actibus. Non licèt ſequi ſententiam minùs probabilem in concurſu probabilioris.

DE LEGIBUS.

43 In iure naturali, eadem manente præcepti materia, Deus diſpenſare nequit; eiuſque invincibilis ignorantia dari non poteſt. Legis poſitivæ, & humanæ, ceſſante adæquata cauſa, ceſſat obligatio; quemadmodum Lex vetus in morte Chriſti ceſſavit, quamvis per aliquod poſtea tempus mortifera non fuerit.

DE VIRTUTIBUS.

44 Virtutes, quæ ſine Charitate perfectæ non ſunt, ita inter ſe connectuntur, ut una perfectè ſine alia non compareatur: & in altera vita, quoad conformitatem appetitus cum ratione permanebunt. Perfectiones autem acquiſitæ ſunt morales infuſæ, quæ vitæ ſpirituali, cum Spiritus Sancti Donis neceſſariæ ſunt.

DE FIDE.

45 Fidei Theologicæ obiecto annexa quidem obſcuritas eſt, ſed non ex eius ratione formali; itaut, ſtante evidentia in atteſtante, Fides non deſtruatur. Ut aliquod dogma de Fide univerſaliter credatur, requiritur

Eccleſiæ

Eccleſiæ propoſitio. Quod ſi quis unum articulum inficietur , nulli credere cenſendus eſt , quamvis ijs aſſentiri videatur , quæ à quolibet Catholico Fide explicita ſunt tenenda , Incarnationis ſcilicet & Trinitatis myſteria.

46 Per peccatum Fides non amittitur , quæ quodcumque naturale principium certitudine longiſſimè excedit , & ad cuius profeſſionem aliquando obligamur.

DE SPE.

47 FIdem ſequitur Spes Theologica , adeò Catholicis etiam peccatoribus neceſſaria , ut ſi cui divinitus facta fuiſſet damnationis ob liberum peccatum infligendæ revelatio , adhuc ſub mortali teneretur æternam vitam ſperare.

DE CHARITATE.

48 TErtius Theologicus habitus Charitas eſt , quæ primariò amore ſaltèm appretiativo diligit Divinam Bonitatem ; ſecundariò Proximum , quæ etiam Inimicum amare iubetur , quidquid aliqui in Lege Moſaica odium inimicorum licitum malè aſſerant. Charitas autem ut augeatur exigit actum æqualem , vel intenſiorem.

DE VITIIS, ET PECCATIS.

49 CUiuslibet peccati malitia formaliter conſiſtit in privatione debitæ rectitudinis : nam ſi nulla daretur æterna Lex , nullum daretur peccatum formaliter. Et cum peccata ex obiectis , & circumſtantijs ſpecie diſtinguantur , multiplicantur ex varijs præceptorum motivis.

50 Peccatum mortale gratiam Dei non compatitur ; benè tamen veniale , quod etiam quantum ad formale in appetitu ſenſitivo inveniri poteſt. Omnium malorum radix eſt originalis culpa , quam in omnes homines (excepta Beata Virgine) ab Adamo transfuſam docet Catholica Fides.

DE GRATIA.

51 IN ſtatu naturæ lapſæ minores ſunt hominis vires in bonum , quàm fuiſſent in ſtatu naturæ puræ abſolutè poſſibili. Non ita de ſtatu iuſtitiæ originalis dicendum , adeò perfecto , ut nec morti , nec venialibus peccatis obnoxius eſſet.

52 Quanta ſit homini lapſo gratiæ neceſſitas , hinc patet , quòd cum ſolo concurſu generali , non ſufficiat nec ad opera ſupernaturalia , nec ad bona opera moralia , nec ad vitandas graves tentationes , nec ad Deum ſuper omnia efficaciter diligendum , nec ad legem naturalem implendam. Ad vitanda tamen omnia peccata venialia exigitur præter gratiam ſpecialem , ſpecialiſſimum privilegium , ſoli Deiparæ conceſſum.

53 Ad iuſtificationem requiritur tamquam cauſa formalis Gratia habitualis realiter diſtincta ab habitu Charitatis , à ſolo Deo principaliter producibilis , cuius naturam participat. Undè peccatum quoad intrinſecam maculam remitti nequit abſque mutatione intrinſeca peccatoris.

DE INCARNATIONE.

54 DOminica Incarnatio eſt naturaliter indemonſtrabilis : cuius motivum adæquatum fuit humani generis redemptio , unde ſi Adamus non peccaſſet , Verbum non veniſſet. Pro peccato mortali ſimpliciter in ratione offenſæ infinito ſatisfacere de condigno non potuit purus homo. Chriſtus verò ſatisfecit , non ſolùm de condigno ; ſed etiam de rigore iuſtitiæ.

55 Hanc Incarnationem , qua Verbum omnes Humanitatis partes , & Sanguinem aſſumpſit , & aſſumere potuiſſet quamcumque aliam naturam , Chriſtus

non

Digitized by Google

non meruit. In ea Deus verum corpus non phantaſticum aſſumpſit, contra Baſilidem, nec illud è Cœlo detulit adverſus Valentinum, ſed à Virgine accepit, non tamen ex conſortio eiuſdem cum Ioſeph, ut deliraverunt Ebionitæ. Non dividitur Chriſtus à Ieſu, neque eſt purus homo, ut nefariè aſſeruit Cerinthus.

56 In Chriſto præter gratiam ſubſtantialem admittenda eſt accidentalis: & licèt ratione unionis hypoſtaticæ omninò impeccabilis fuerit, liberè tamen Patris præceptis obtemperavit, mortuus pro omnium hominum ſalute.

57 Is Eccleſiam fundavit, ac D Petrum eiuſdem viſibile caput inſtituit, quem etiam reliquorum Apoſtolorum Principem fecit. Petrus verò Romæ ſedit, atque ibi mortuus eſt. Undè Romani Pontifices ei ſuccedunt in Eccleſiaſtica Monarchia.

58 Chriſti Regnum poſt univerſalem hominum reſurrectionem, non terreſtre, ſed cœleſte futurum eſt; graviter proindè erravit Cerinthus aſſerens terreſtre futurum, ac mille annorum numero conſumendum.

DE SACRAMENTIS.

59 SAcramenta novæ Legis, gratiam ex opere operato phyſicè inſtrumentaliter efficiunt, alia primam, alia ſecundam, præter quam ius quoddam ad ſpecialia auxilia primariò conferunt. Character enim trium Sacramentorum proprius, & intellectui impreſſus, effectus eſt ſecundarius.

60 Omnia Sacramenta in ſigno ſenſibili eſſentialiter conſiſteutia, forma, & materia conſtant immutabili, & ad validitatem requirunt intentionem Miniſtri faciendi actum, ut Sacramentalem. In ſolo ſtatu innocentiæ, non extiterunt Sacramenta, utpotè nonniſi homini lapſo neceſſaria.

DE BAPTISMO.

61 BAptiſmus benè ſuppletur in caſu neceſſitatis per flamen, & ſanguinem; licèt Iudæorum, & Gentilium Parvulis validè conferatur, invitis tamen parentibus univerſaliter non licet. Recedente fictione, gratiam confert quam prius in actu contuliſset.

62 Baptiſmus ab Hæreticis collatus adhibita convenienti materia, & forma verbis Evangelicis expreſsa validus eſt, proindeque iterari noo debet. Cyprianum, & Firmilianum contrariæ ſententiæ inhærentes (quòd ad Fidem non ſpectare dogma crederent) non excommunicavit, ſed de excommunicatione minatus eſt Stephanus Romanus Pontifex. Is tamen non approbavit omnium Hæreticorum Baptiſma variantium eſsentialem Eccleſiæ ritum.

DE CONFIRMATIONE.

63 ITerabilis pariter non eſt Confirmatio, verum novæ Legis Sacramentum, cuius materia proxima inunctio eſt Chriſmatis ad modum Crucis. Eam ſuſcipere quilibet tenetur ſaltem in caſu profitendæ Fidei. Miniſtrare autem ſolus Epiſcopus poteſt. An ex Romani Pontificis diſpenſatione ſimplex etiam Sacerdos, pobabiliter controvertitur.

DE EUCHARISTIA.

64 EUchariſtia verum eſt Sacramentum, ſimul & Sacrificium, in quo verè, realiter, & ſubſtantialiter permanet Corpus, & Sanguis Chriſti cum Anima, & Divinitate, Pane, & Vino per tranſubſtantiationem, quæ eſt actio productiva ſecundùm quid, in Corpus, & Sanguinem Chriſti converſis. Panis triticeus, & Vinum uſuale ſunt neceſſaria huius Sacramenti materia; unde erraruut Encratitæ ſolam aquam in Sacrificio adhibentes. Panis azymus convenienter adhibet Eccleſia Latina, Vinumque modica aqua mixtum.

65 Hæc

65 Hæc ſola verba: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ſunt forma eſſentialis conſecrationis Calicis, non verò ſequentia. Et quamvis duæ ſint ſpecies, unicum tamen eſt Sacramentum; nec poteſt una ſpecies per abſolutam Summi Pontificis auctoritatem ſine altera conſecrari. Non conſiſtit hoc Sacramentum in ſolo uſu, contra Lutheranos, & adorandum eſt adoratione Latriæ.

66 Solus Sacerdos Euchariſtiam conficere poteſt, eamque omnes adulti, præcepto Eccleſiaſtico, & Divino, aliquando ſumere iubentur, non tamen in utraque ſpecie: quia cum utriuſque ſpeciei communio minimè ſit omnibus imperata à Chriſto; nec omnibus neceſſaria, ab uſu Calicis vulgus iuſtè prohibuit Eccleſia.

DE POENITENTIA.

67 VErum Sacramentum eſt Pœnitentia, in qua Sacerdos ſolus eius Miniſter eſt; & ut iudex, non ut peccator à peccatis abſolvit, nec ullum verè pœnitentem excludere poteſt, cum nullum ſit crimen, quod Eccleſiæ clavibus remitti non poſſit, contra Novatianos. Per peccatorum remiſſionem merita mortificata in ſua proportione reviviſcunt.

68 Ad hoc Sacramentum Confeſſio per ſe exigitur, ſed non publica, quæ olim in uſu non fuit, nec ullis Eccleſiæ legibus ſancita. Exigitur etiam dolor de peccatis, & ſatisfactio, quæ licèt primis Eccleſiæ temporibus publica quandoque præſcripta fuerit, nihilominus probabile eſt, quod publicæ pœnitentiæ addicti fuerint ſolùm publici peccatores.

DE EXTREMA UNCTIONE.

69 VErum itidem novæ Legis Sacramentum Extrema Unctio, à Chriſto Domino inſtitutum, adverſus Lutheranos, & Calviniſtas. Oleum ex olivis expreſſum huius materia remota eſt, quod tamen, non de Sacramenti, ſed de præcepti, & quidem probabiliter Divini, neceſſitate, debet eſſe ab Epiſcopo benedictum.

70 Animi infirmitates ſanare, peccata dimittere, & corporis morbum, ſi ita expediat amovere, huius ſunt effectus Sacramenti; cuius Miniſter eſt Sacerdos, poteſtatem habens vel ordinariam, ut Parochus, vel delegatam, ut cui Parochus facultatem dedit. Subiectum eſt infirmus periculosè laborans, cui ſæpiùs poteſt concedi in eadem infirmitate, ſecundùm diverſum tamen infirmitatis ſtatum.

DE ORDINE.

71 AB Ordine fœminæ omninò excluduntur, & non ſolùm Presbyteratus, ſed etiam Diaconatus veram huius Sacramenti rationem habet. Epiſcopatus eſt veluti Sacerdotij complementum. Diaconis, quamvis olim licuerit pœnitentes cum Eccleſia reconciliare, nunquam tamen abſolutionis Sacramentalis impertiendæ facultas conceſſa. Non ad profanæ, & vulgaris menſæ, ſed ad Sacræ miniſterium Septem Diaconi ab Apoſtolis electi fuere. Nicolaus Diaconus à Nicolaitarum hæreſi vindicari aliquomodo poteſt.

DE MATRIMONIO.

72 MAtrimonium ſuapte natura indiſſolubile, ſolo contrahentium conſenſu perficitur. Licitum eſt tranſire ad ſecundas, tertias, &c. nuptias contra Montaniſtas; Et nuptiæ abſolutè licitæ ſunt, quidquid in oppoſitum blaſphemaverint Marcionitæ, Encratitæ, Manichæi, &c.

LAUS DEO.

Diſputabuntur publicè in Eccl. S. Mariæ de Riccis Scholarum Piarum
Menſe *Die* *Hora*

1058 . 20
2
958009

Digitized by Google